



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Litterae Baldvini Comitis Flandriae & Haynoviae & Marchionis Namurciae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

Villa civem Mediolanensem, pro contumatione honoris nostri ad vestram transmittimus sanctitatem. Quicquid igitur cum prefatis Legatis nostris à vestra tractatum vel ordinatum fuerit providentia, id majestatem nostram in omnibus & per omnia ratum & firmum habituram presentibus litteris sanctitati vestre significamus.

LITTERÆ REGIS ANGLIÆ.

Epist. 4.

Excellentissimo Domino suo & universali Patri Innocentio Dei gratia catholice Ecclesie summo Pontifici devotissimus sue majestatis filius Richardus eadem gratia Rex Angliæ, Dux Normaniæ & Aquitaniæ, & Comes Andegaviæ, salutem & debitum in omnibus cum reverentia & desiderio famularum. Quanto de apostolice gratia majestatis, tum per litteras speciales, tum per fideles nuntios, tum etiam per interstigna munerum vestrorum in interiorum suum & cubitalium animæ nostræ plenior certitudo devenit, tantò præcordiis nostris major exultatio vestraque fiducia caritatis innascitur, qua non solum ad referendas grates, verum etiam ad exhibenda totius devotionis obsequia jugi responsione tenemur. Qualescunque etenim ceteri Reges & Principes vestre se paternitati exhibeant, nos & devotissimum filium vestrum Ottonem nepotem nostrum regnum & coronam regni Alemanniæ ad perpetuam devotionem vestram & Ecclesie Romanæ nuper adeptum præceptis vestris atque obsequiis invenieris omnifariam mancipatos; nec vivunt in mundo duo Principes Christiani qui adeo desiderabiliter vestre majestati studeant deservire, & quorum ministerio facilius possitis totius Christianæ pacis adversarios expugnare. Huc accedit quoddam inter omnia & præ omnibus quibus spiritus noster majori sollicitudine studiosius invigilat, & ad quorum efficientiam favorem apostolicum indulgentius inclinando suspirat, ipsius est Ottonis negotium, ut scilicet de beneficio apostolice pietatis ad promotionem ipsius dexteram dignumque sublevationis extendere, filium vestrum devotissimum imperialis munere diadematis insignire. Nos enim, in quantum fides Christiana & regalis devotio apud Deum & apud vos ipsamque Romanam Ecclesiam cavere potest aut poterit, quicquid ad nos spectat in anima & corpore & honore terreno pro ipso vobis in perpetuum fœdus astringimus atque juxta dispositionem vestram & beneplacitum astringemus quod vobis tamquam unico Domino suo & Ecclesie Romanæ debitam & juratam fidelitatem impendat, & quatenus ab aliis Imperatoribus detracta sunt & diminuta restituet, restituta quoque inviolabili firmitate servabit, omnemque pravitatem secularis potentie juxta consilium vestre paternitatis eliminare curabit. Super præmissis autem & super annis quos nobis per Episcopum Lexoviensem vestram tam nobilissimam quam liberalis magnificentia destinavit, super litteris etiam qualitates lapidum designantibus, eosque reddentibus, licet admodum pretiosi existant, longè amplius pretiosos, tamquam à supremo & superexcellentissimo descriptore distinctos, grates totius cordis affectione referimus, & de tanta dignationis vestre gratia gloriamur; cui unam vota cordis nostri, quæ ad plenum per litteras aut nuntios explicare non possumus, viva voce, permittente Deo, & devotis obsequiis referare possemus; in cujus utique spe & desiderio spiritus noster assiduis vexationibus debellans continuè refocetur, & salutari suspensus expectatione quiescat. Dominus personam vestram Ecclesie sue diu servet incolumentem.

Vide lib. 10.
epist. 213.

LITTERÆ REGIS ANGLIÆ.

Epist. 5.

Sanctissimo in Christo Patri Innocentio Dei gratia summo Pontifici Richardus eadem gratia Rex Angliæ, Dux Normaniæ & Aquitaniæ, & Comes Andegaviæ, salutem & sinceram semper devotionem. Sanctitatem vestram credimus non latere, totius etiam curie Romanæ, sicut credimus, tenet memoria, quanto non minus antecessorum nostrorum quam nostri devotio sanctæ sedi apostolice & Romanæ præceptis Ecclesie affectu semper benignissimo fuerit alligata. Illud etiam paternitatis vestre novit discretio, quanto Ducis Saxonie pridem sublati de medio Romanæ fuit Ecclesie semper devotio studio dilectionis astricta. E contrario vero Imperatoris ultimi antecessorum suorum sequentis vestigia & in vexationibus sanctæ Romanæ Ecclesie non minori quam pater suus repugnancia patrifantis cura fuit, sicut & antecessorum suo-

rum, præcepta apostolica non curare & jura ipsius curie non servare. Inde est quod in sanctitatis vestre conspectu devotionis nostræ spiritum totum supplicationibus exhaurimus quatenus Ottoni nepoti nostro prælibati Ducis filio, quem ad regnum Alemanniæ celebris eorum vocavit electio quorum interest Regem eligere, & quem eorundem consensus in loco ad hoc debito sublimavit in Regem, favore velitis apostolice consentire & regnum sibi Alemanniæ auctoritatis vestre munimine confirmare, electionem ipsius & coronationem approbantes, & propositum Ducis Suvie & sequacium suorum super hoc reprobantes. Velit itaque sanctitas vestra omnes qui eidem Duci in hac prærogativa sua consenserint anathematis, si placet, vinculo innodare & . . . magnates apostolice communitio ad hoc inducere ut ei tamquam domino sine difficultate adherant, quem electio debita in loco debito coronavit. Hoc siquidem vobis in spiritu quo vestri sumus pollicemur, & nos super hoc fidei iustos statuimus, quod idem nepos noster, dum nostro consilio acquiescet, non solum sanctæ Romanæ Ecclesie jura conservabit præsentialiter possessa, sed in præterito habita ad statum debitum revocabit. Teste me ipso apud Barnevillam xi. die Augusti.

LITTERÆ IOHANNIS RUSCÆ
Mediolanensis Potestatis.

Epist. 6.

Clementissimo Domino & Patri reverendissimo Innocentio divina dispositione sacrosanctæ Romanæ Ecclesie summo Pontifici Johannes Ruscæ Mediolanensis Potestas, ejus per omnia devotissimus, cum consilio eisdem civitatis, cum vero animi famularum tam promptum quam fidelissimum obsequium. Ex pagina litterarum Adolphi Colonienis Ecclesie Archiepiscopi & aliorum plurimorum Principum insinuatione indubitanter cognovimus quod ipsi Principes, ad quos electio pertinet, sapienter tractantes de Rege subrogando & substituendo, Dominum Ottonem Henrici Ducis Saxonie filium in inclitum Romanorum Regem unanimiter, sicut ad eos de jure spectat electio, utpote divicè placuit dispositioni, clementer elegerunt, & in consuetam Augustorum sedem ipsum collocaverunt. Verum cum ipse & ejus prædecessores erga civitatem nostram paternam & sinceram semper habuerint affectionem, ut frequenter pluribus cognovimus experimentis, sanctitati vestre, de qua fidem gerimus indubitatum, preces devotissimas suppliciter transmittimus ut nobiles & magnos ac honorabiles Alemanniæ viros, quos ipse & Principes Theutoniæ ad vestram clementiam transmittunt pro ejusdem consecratione & coronatione ac electione confirmanda, quam jure factam non ambigimus, adeo ejusdem Domini Ottonis meritis & suorum prædecessorum, ac Domini Regis Angliæ, qui sanctæ Romanæ Ecclesie fidelissimus ac devotissimus semper extitit, ac nostræ civitatis interventu, quæ ad sanctam universalem Ecclesie Romanæ promotionem ac sublimationem vigilans ac intendens jugiter pericraverit, sic benignè eos Legatos & ipsorum vota exaudiat quod debite ad consecrationem facti imperij ipsum sine prorogatione convocetis; ut pro exauditis precibus, quæ jucundum fuerint sortitæ eventum, innumerabiles gratiarum actiones obnoxij teneamus perpetuò vestre sanctitati exhibere. Insuper D. Monachus de Villa, nostræ urbis magnus & nobilis civis, qui est vir providus & circumspectus, pro hoc facto ad vestram properat accedere clementiam cum eisdem viris prudentibus. Quicquid super his ex parte nostra vestre exposuerit benignitati, eidem indubitanter fidem adhibeatis.

LITTERÆ BALDVINI
Comitis Flandriæ & Haynoviæ & Marchionis
Namurciæ.

Epist. 7.

Sanctissimo Patri ac domino Innocentio sacrosanctæ Romanæ Ecclesie summo Pontifici Baldwinus Comes Flandriæ & Haynoviæ & Marchio Namurciæ salutem & promptum cum omni devotione famularum. Post obitum Henrici Imperatoris nos unà cum Principibus imperij, ad quos de jure spectat electio, de eligendo Rege sapienter tractavimus. Post varios tandem affectus, sicut Domino placuit, in reverentissimum Dominum nostrum Regem Ottonem vobis & Ecclesie Romanæ devotissimum vota nostra celebratim concurrerunt: qui postmodum in sede

Augustorum Aquigrani coronationis ac consecrationis plenitudinem per manum Domini Coloniensis Archiepiscopi, cujus hoc interest, cum omni qua decuit solemnitate meruit obtinere. Nos igitur dicti Regis electionem quandoquidem iuste factam esse non dubitamus, ratam habentes, terras nostras, quas de imperio tenemus, à manu sua recipientes, facto hominio illi fidelitatem juravimus. Sanctitati ergo vestræ, Pater Reverende, omni qua possumus affectione supplicamus quatenus rationabilem ipsius electionem, coronationem, ac consecrationem ratam habere volentes, eam confirmare atque ipsum Regem ad imperij consecrationem vocare paterna pietate dignemini, ut ad obsequium vestrum & Ecclesie Romanæ in perpetuum amplius invicemur & archius obligemur.

**LITTERÆ A. COMITIS DE
Dasburg & Metensis.**

Epist. 8.

Sacrosanctissimo Domino & Patri sacrosanctæ Romanæ Ecclesie summo Pontifici, & venerabilibus Dominis universis Cardinalibus, A. Comes de Dasburg & Metensis, debitam reverentiam, & paratum in omnibus obsequium. Cùm fuisset rebus humanis Henricus Imperator exemptus, nos & alij Principes Dominum Ottonem quondam Henrici Ducis Saxonie filium in Regem Romanorum elegimus, & ipsum ea qua decuit solemnitate per Dominum Adolphum Coloniensem Archiepiscopum apud Aquigranum consecratum in sede regia, sicut à Karolo constitutum erat, locavimus. Rogamus ergo sanctitatem vestram ut habita consideratione ad miserias & oppressiones quas per novissimos Imperatores Fridericum & Henricum filium ejus sustinimus, electionem Domini nostri Regis Ottonis confirmare & ad imperialis consecrationem vocare dignemini, & partem adversam à fidelitate quam Duci Sueviæ fecerunt abolvatis, & per censuram ecclesiasticam nostræ electioni consentire compellatis.

**LITTERÆ COLONIENSIS
Archiepiscopi.**

Epist. 9.

Sacrosanctissimo Patri ac Domino Innocentio sacrosanctæ Romanæ Ecclesie summo Pontifici Adolphus Dei gratia sanctæ Coloniensis Ecclesie minister humilis, devotum obsequium & orationes in Domino. Post obitum Henrici Imperatoris nos unâ cum aliis Principibus de substituendo Rege sæpius tractantes quod sanctæ Romanæ Ecclesie expediret subditisque imperij, qualiter quoque priorum Imperatorum oppressiones evitare possemus sollicitè deliberavimus. Pretendimus igitur animos nostros ad diversos imperij Principes, & sicut Domino placuit, serenissimum Dominum Ottonem Henrici Ducis Saxonie filium in Romanorum Regem rationabiliter elegimus. Postmodum verò in Augustorum sede Aquigrani locavimus, & sicut debuimus, ea qua decuit solemnitate consecravimus ac coronavimus. Ipse verò Dominus Rex in timore Dei & reverentia sanctæ Ecclesie omnia jura Romanæ Ecclesie aliarumque Ecclesiarum bona fide conservare & manuteneat juravit. Nobis etiam aliisque Episcopis pravam illam consuetudinem aliorum Imperatorum, qui decedentibus Episcopis & Abbatibus Principibus in mobilibus rebus selegere moventibus succedebant, liberaliter remisit. Paternitatem igitur vestram ardentè rogamus quatenus rationabile factum nostrum aliorumque Principum qui de jure eligere debent attendentes, merita quoque Domini nostri Regis, patris ac fratris sui palatini, Regis quoque Angliæ avunculi sui, qui à servitio & unitate Ecclesie nunquam separati fuerunt, considerantes, quoque injurias Ducis Sueviæ, patris ac fratris ejus, non dissimulantes, magnos & honorabiles viros quos ipse ac Principes de communi consilio ad pedes sanctitatis vestræ transmittunt benignè recipiatis ac benignius remittatis, & rationabilem ipsius electionem, consecrationem, ac coronationem confirmetis, & ad imperij consecrationem vocetis, nostros quoque adversarios & Ecclesie à fidelitate Duci Sueviæ præstita abolvatis & nostro Regi obedire ecclesiastica censura compellatis. Nos etiam pro patrimonio Ecclesie Romanæ dimitteudo ac conservando pro ipso Domino Rege spondemus atque fidejubemus.

**LITTERÆ PRINCIPVM AC
Baronum Alamannie Clericorum & laicorum.**

Epist. 10.

Sacrosanctissimo Patri ac Domino Innocentio sacrosanctæ Romanæ sedis summo Pontifici, Principes & Barones Alamannie Clerici & laici, debitam in Christo reverentiam & sinceritatem obsequij. Cùm placuisset ei qui auferit spiritum Principum, & magnus & terribilis est super Reges terræ, Dominum Henricum Imperatorem de medio auferre, necessarium nobis visum fuit de substituendo Rege tractatum & colloquium habere. Convenimus ergo sæpius, & miserias & oppressiones quas hæcenus sustinueramus recententes, per universos Principes regni animos nostros ereximus, & quid honori Ecclesie Dei & paci ac quieti subjectorum potissimum expediret deliberantes, nunc unum nunc alium quasi finaliter eligere putabamus. Verùm quia non est prudentia, non est potentia, non est consilium nisi per Deum, placuit ei qui Abrahæ filium immolare volenti victimam providit, & David fratribus juniores de postulantibus accepit, atque Matthiam ex discipulorum numero ad sortem apostolatus elegit, serenissimum Dominum nostrum Ottonem quondam Henrici Ducis Saxonie filium ad regimen Romani imperij de terra peregrinationis suæ ex inopinato offerre in bis. Invocata itaque sancti spiritus gratia prædictum Dominum Ottonem, Christianæ fidei cultorem devotissimum, atque sanctæ Romanæ Ecclesie Advocatum & defensorem fidelissimum, & judicariæ potestatis observatorem justissimum, de longa & antiqua Regum profapia ex utraque linea spectabiliter editum, ad Romani regni fastigium iuste ac rationabiliter elegimus, & sicut debuimus, ipsius electioni consentimus, ipsumque in Augustorum sede à Karolo magno apud Aquigranum huic dignitati deputata locavimus, & corona & regni diademata per manum Domini Adolphi Coloniensis Archiepiscopi ea qua decuit solemnitate feliciter decoravimus. Nos autem Principes, qui jam dictum Dominum Ottonem in Regem elegimus, feoda nostra quæ ab imperio tenemus à manu ipsius recipientes, hominum sibi fecimus & fidelitatem juravimus. Tantæ igitur dignitatis munus excellentissimum Princeps divina potius gratiæ quam suis meritis ascribens, primitias hujus honoris offerens Domino, propria voluntate juramento firmavit in primis sacrosanctæ Romanæ Ecclesie, deinde omnium Ecclesiarum jura bona fide servare ac manuteneat, & subjectos imperij exheredatos maximè & à suis possessionibus violentè ejectos in sua justitia pro posse juvare & conservare. Pravam insuper illam consuetudinem quam Imperatores antecessores sui in occupandis rebus mobilibus vel sese moventibus decedentium Episcoporum vel Abbatum Principum huc usque servaverant penitus extirpans, nos ecclesiasticos Principes ab hac indebita vexatione regali benevolentia liberos dimisit, & decedentium bona suis successoribus servanda liberaliter statuit. Paternitati ergo vestræ dignum supplicare duximus quatenus fidem & devotionem Domini nostri Regis attendentes, merita quoque illustrissimi patris sui Henrici Ducis Saxonie, qui ab obsequio sacrosanctæ Romanæ Ecclesie nunquam recessit, memoriter tenentes, paci & quieti vestræ & nostræ intuitu Dei ac nostri obsequij providentes, ipsius electionem & consecrationem auctoritate vestra confirmare & imperiali coronationi annuere paterna pietate dignemini. Sanctitatem insuper vestram obnixè rogamus quatenus Principes ac Barones à tam rationabili electione discordantes ecclesiastica censura ad concordiam revocetis, & ab illius fidelitate partis adversæ clave Petri resolutos ad præstandam Domino nostro Regi fidelitatem & subjectionem auctoritate vestra compellatis. Ut autem à Domino Rege nostro jura Romanæ Ecclesie, ut prædictum est, integra & illibata serventur, nos in bona fide spondemus, & pro domino Rege nostro fidejubemus.

† Ego Adolphus Coloniensis Archiepiscopus elegi & subscripsi. † Ego Gerardus Indensis Abbas elegi & subscripsi. † Ego Heribertus Verdenensis Abbas elegi & subscripsi. Ego Henricus Dux Lotharingie, qui & Brabantie, Marchio Romani Imperij, elegi & subscripsi. Ego Henricus Comes de Kuko consecutus & subscripsi. † Ego Bernhardus Paderburenensis Episcopus elegi & subscripsi. † Ego Thietmarus Mindenensis Episcopus elegi, & consecrationi cooperatus fui. † Ego Vvridikindus Corbeienensis Abbas elegi & subscripsi.

